Secundo. Privatio gratiæ est pœna, ob peccatum Adæ, Posteris irrogata; sed non ob aliud peccatum, quam Adami factum illis proprium; ergo &c.

Tertio. In Politicis videmus, justè peccata parentum filiis imputari, ipsoque præterea puniri, quod in parentibus peccasse dicantur; ergo a pari &c.

XV. Respondetur, nego ant. Non enim sola meriti Christi imputatione justificantur, & Baptismate renascuntur parvuli, sed gratia Spiritus Sancti eis, quamvis nescientibus, intrinsece Christi meritis collata. Dicere enim homines per solum Christi justitiam formaliter justos esse, error Protestantium est, damnatus a Trident. *Sess. 6. Can.* 10. & 11. Et D. August. *Epist.* 187. *olim* 57. *ad Dardanum c.* 8. ait: *Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum*. Quomodo autem in eis habitet, post multa exponit, dicens: *Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occulte agit, ut sint templum ejus*. Meritis quidem Christi, non propriis, merentur vitam æternam, quam eis Christus suis meritis in hæreditatem comparavit; non tamen solis Christi meritis justi formaliter sunt, & consequenter nec solo demerito Adæ formaliter peccatores.

XVI. Ad secundum dicetur infra, quod carentia gratiæ, seu privatio justitiæ originalis potest sumi, ut est remotio, seu subtractio gratiæ, & justitiæ a Deo procedens; & sic est pœna. Potest etiam sumi, ut dicit in subjecto carentiam, & defectum gratiæ, & justitiæ; & sic est formaliter ipsum originale peccatum a peccato Adami transfusum.

XVII. Ad tertium nego consequentiam. Nam in politicis etiam sola imputatione meritorum parentum censentur Posteri digni amore, & honore Principis; & tamen sola imputatione meritorum Christi non censentur homines digni amore Dei, sed justitia eis intrinsece inhærente, ut statuit Tridentinum sæpe laudatum. Deinde in politicis peccata parentum imputantur quidem ad pœnam Posteris, non tamen ad culpam, quæ saltem unicuique insit tamquam propria: at Posteris Adæ imputatur etiam culpa, immo in unoquoque inest, ut propria; ergo non ex mera imputatione, sed ex macula intrinseca ab eis contracta dicuntur peccatores.

XVIII. Quarto objiciunt alii. Peccatum personale habituale est ipsum peccatum actuale moraliter perseverans; ergo peccatum originale cum sit habituale, nihil est aliud, quam peccatum actuale Adami moraliter perseverans.

XIX. Respondetur, negando ant. Peccatum enim habituale, vel est inordinata conversio ad creaturam ex peccato actuali relicta; vel macula, seu offensa Dei, quæ in anima manet, donec per gratiam sanctificantem auferatur. Unde a pari de peccato originali dicendum erit.

XX. Quinto objici potest. Peccatum originale est peccatum proprie; ergo est factum; dictum, vel concupitum contra legem Dei; hæc enim est definitio peccati: sed nihil in peccato originali designari potest, quod sit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei, quam actualis transgressio Adami; ergo ipsa, ut in nobis moraliter manens, est peccatum originale.

XXI. Responderi potest primo, neg. conseq. illa enim est definitio proprie peccati actualis, non originalis. Secundo, dist. conseq. vel aliquid ex facto, dicto, concupito proveniens, conc. conseq. aliter, nego conseq. Sicut ergo macula peccati actualis, seu peccatum habituale provenit ex aliquo facto, dicto, vel concupito contra legem Dei: ita etiam macula peccati originalis oritur ex aliquo facto, vel concupito præterito, non quidem propriæ, sed alienæ voluntatis, quæ quodammodo fuit nostra, nempe Adami, cujus factum, & concupitum maculam originalem propagatione transfundit in Posteros.

DUBIUM IV.

In quo revera statuendum sit Peccatum Originale.

§. I.

Non in morbida qualitate.

I. QUorumdam veterum Theologorum, ut Gregorii Arimin. Driedonis, aliorumque opinio fuit, corpus Adæ post peccatum fuisse infectum aliqua morbida qualitate, seu contagione, & nedum corpus, sed etiam semen ipsius. Hinc factum esse, ut omnes Posteri, qui ex Adæ semine nascuntur, hanc eamdem qualitatem contrahant in carne: cumque in conceptione anima conjungatur carni, derivatur similis qualitas in ipsam. Esto autem utraque qualitas, tam quæ in corpore, quam quæ in anima, vocari possit concupiscentia; sola tamen illa, quæ in anima est, peccatum originale est, ex qui prava desideria, & concupiscentiæ in nobis excitantur. Ita discurrunt Auctores præfati, qui tamen ab omnibus deseruntur.

II. Dico primo. Peccatum originale non est aliqua morbida qualitas ex corruptione carnis in animam derivata. Probatur primo. Nam falso supponunt, quod vitium concupiscentiæ, quo prona est ad concupiscendum contra rationem, sit positiva qualitas ei adveniens; cum hæc pronitas unice proveniat ex carentia justitiæ originalis, quæ eam perfecte subjiciebat rationi. Hoc enim, quod in homine vitium est, in brutis est natura, ut docet D. Aug. lib. 2. de Pecc. origin. cap. 40. *Tanta excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis sit natura pecoris*. Ideo autem vitium non est in brutis, quia non repugnat rationi, cum ea careant. Ita idem August. lib. 4. contra Julian. cap. 5. *Hoc autem libido ideo malum non est in bestiis, quoniam non repugnat rationi, qua careant*; ergo ideo vitium est in homine quia repugnat rationi, qua pollet: sed ideo repugnat rationi, quia in perfecta subjectione ad ipsam non amplius per justitiam originalem continetur; ergo &c.

III. Secundo probatur. Illa qualitas contagiosa in anima non aliud esset, quam pronitas ad malum, & languor ad bonum: sed hæc nequit esse peccatum originale formaliter; manet enim etiam in renatis per Baptismum, in quibus tamen peccatum originale deletum est; ergo &c.

IV. Tertio. Illa qualitas, si daretur, debuisset habere, & adhuc habere aliquam causam. Quæro igitur: quænam fuit prima illius causa. An halitus serpentis, ut vult Gregorius? At hoc non. Nec enim serpens egit cum Adamo, sed cum Eva. An a pomo vetito, ut alii putant? At pomum natura sua erat bonum, non autem vitiatum, aut corruptum, ut docet August. *lib. 4. de Civit. Dei cap.* 12. Rursus dum generatur homo, unde qualitas illa derivatur in animam? An a peccato primi Parentis? At hoc, quod pridem extinctum fuit, ac physice periit, illam physicam qualitatem modo causare physice non potest. An a carne corrupta in animam qualitas illa transfunditur? Verum quomodo caro corrupta, quæ materialis est, potest qualitatem spiritualem in anima spirituali producere? An igitur a Deo? Absit. Hoc enim esset facere Deum peccati auctorem, si ipse qualitatem illam, qua ad peccatum inclinamur, & a bono retrahimur, & in qua Auctores præfati collocant essentiam peccati originalis, immediate causaret.

V. Sed qaia putant, sibi favere S. Augustinum; ideo illum adducunt ex *lib.* 1. *de Nupt. & concup. cap.* 25. dicentem: *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quædam mala qualitatis, sicut languor*. Et cap. 31. *Carnem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis conformationem*.

VI. Respondeo, D. Augustinum citatis locis non loqui de peccato originali formaliter, sed de concupiscentia etiam in baptizatis manente; quæ est materiale ejusdem originalis peccati, ut supra fuse ostendimus. Hanc ergo vocat affectionem malæ qualitatis, sicut languorem intelligens nomine affectionis ipsum appetitum sensitivum ut vitiatum, non aliqua positiva qualitate tabifica, sed ex carentia justitiæ originalis; sicut ex carentia debitæ proportionis inter humores fit languor in corpore. Et hac ratione *S. Thom.* 1. 2. *q.* 82. *art.* 1. vocat peccatum originale habitum corruptum. *Est enim quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmonia, in qua consistebat ratio originalis justitiæ: sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis secundum quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis. Unde peccatum originale languor natura dicitur*. Subdit vero ibi ad 1. quod *sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis, & aliquid habet positive scilicet ipsos humores inordinate dispositos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ. Unde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus*. Quibus S. Doct. comprehendit id, quod peccatum originale dicit tam de formali; quam de materiali, nempe appetitum contra rationem rebellantem. Cæterum peccatum originale sumptum pro formali, unice dicit privationem justitiæ originalis, ut infra dicemus cum eodem S. Doctore.

VII. Secundo afferunt S. Augustinum *lib.* 5. *cont. Julian. c.* 4. dicentem, animam in corpore vitiari tamquam in vase vitiato. Et *lib.* 4. *Hypognosticon. cap.* 1. libidinem in homine ex afflatu serpentis natam esse.

VIII. Respondeo *ad* 1. S. Augustin. ibi non assertive, sed dubitative loqui. Postquam enim dixit de anima, & carne: *Aut utramque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur*, subdit; *Quod autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio*. Porro vitiari animam dicit in corpore, ut in vase vitiato; non quod putet, corpus vitiatum imprimere in anima morbidam aliquam qualitatem: sed quia incipit habere peccatum originale, dum conjungitur carni, quia sic nascitur homo, qui est filius Adæ.

Ad secundum dico, libros illos *Hypognosticon* non esse genuinum S. Augustini opus; ideoque inter spurios amandari in editione Maurina: sed esse, vel Sisti, qui Cælestino in Sede Romana successit, vel potius Marii Mercatoris. Cujuscumque tamen sint, dico, ibi afflatum, seu sibilum metaphorice sumi, nempe pro suasione; quia ex suasione serpentis ortum est peccatum, & ex peccato orta est libido, seu rebellio carnis contra rationem, ait enim; *Tunc in peccante Adam, cum serpenti, hoc est Diabolo, magis suadenti, quam Deo prænonenti, ne faceret, sese incautus præbuisset, avertente se ab illo irato Deo, fraudifero flatu venenosa & mortifera libido insitia est*.

IX. Tertio afferunt Ambrosii locum in *cap.* 7. *ad Romanos*, scribens: *Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed privatio boni; Ecce: primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, reatu tenens divina sententia data in Adam, cujus*

cujus consortio anima maculatur. Censet igitur, peccatum originale esse morbidam, ac virulentam qualitatem.

Respondeo primo; Commentaria illa in Epist. Pauli quamvis Ambrosio tributa, non esse revera Ambrosii, sed vel Hilari Sardi Secta Luciferiani, vel alterius Ambrosiastri. Quicumque tamen ille sit, non favet Adversariis. Nam corpus esse corruptum per peccatum, ejusque consortio animam maculari, non probat, animam ex ejus consortio tabidam qualitatem contrahere; sed quod anima dum conjungitur corpori corrupto, idest privato obedientia debita rationi, contrahat & ipsa privationem originalis justitiæ, & vigoris ad continendos in obedientia appetitus.

§. II.

Non in Reatu pœnæ.

X. PEccatum originale essentialiter consistere in reatu pœnæ, seu in obligatione ad pœnam docuerunt Rosiensis *a.* 2. *contra Lutheranos*, Durandus *in* 2. *dist.* 30. *q.* 30. eamque Vasquez *dis.* 13. *c.* 3. tribuit S. August. sed immerito, ut videbimus. Communiter tamen rejicitur. Unde.

XI Dico secundo. Essentia peccati originalis non consistit in reatu pœnæ, sive sumpto pro obligatione ad pœnam, sive pro condignitate pœnæ. Probatur. Id, quod essentialiter supponit culpam, non potest esse constitutivum culpæ, sed reatus pœnæ, sive sumatur pro obligatione luendi pœnam, sive pro condignitate pœnæ, supponit culpam originalem; ergo &c. Min. prob. pro prima parte. Nemo enim obligatur ad pœnam, nisi quia admisit culpam. Et ulterius manere potest culpa, ablata obligatione a pœna, si Deus, ut potest, peccatori pœnam remittat. Pro secunda quoque parte probatur. Nam condignitas pœnæ est proprietas consequens culpam, sicut condignitas præmii consequitur bonitatem moralem actus meritorii. Hoc docet D. Thom. 1. 2. *q.* 87. *art.* 1. ubi statuit, obligationem ad pœnam esse effectum peccati: quia *quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideo ab ipso ordine consequens est, quod deprimatur, qua quidem depressio pœna est*. Et ibidem *ad* 2. dicit, quod *pœna non est effectus peccati directe, sed solum dispositive. Sed peccatum facit hominem esse reum pœnæ, quod est malum: dicit enim Dionys.* 4. *de Divin. nominibus, quod* puniri non est malum, sed fieri pœna dignum. *Unde reatus pœnæ directe ponitur effectus peccati*.

XII. Secundo prob. Constituere peccatum originale in solo reatu pœnæ, est nomine tenus peccatum originale fateri, sed revera illud negare, cum negetur culpa; est facere Deum injustum, qui obliget ad pœnam eos, qui culpam non habent. Ita S. Thomas *in* 2. *dist.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *in corp.* Postquam enim retulit errorem Pelagii, & Cælestii, qui simpliciter peccatum originale negabant, subjungit: *Alius est error eorum qui peccatum originale nomine concedentes, secundum rem negabant dicentes, in puero nato nullam culpam esse, sed solum obligationem ad pœnam; & hoc manifeste justitiæ divinæ repugnat, ut scilicet aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non habent, cum pœna juste nonnisi culpa debeatur*. Vel ergo Auctores contrarii in puero, præter reatum pœnæ, admittunt culpam originalem; & sic reatus pœnæ effectus est peccati originalis, non essentia. Vel nihil aliud admittunt, & sic nomine peccatum originale fatentur; sed revera negant; faciuntque Deum injustum, qui obliget ad pœnam eum, qui culpam non habet.

XIII. Supersest S. Augustini mentem exponere, qui pluribus in locis, docet, concupiscentiam in non renatis esse originale peccatum, non ratione sui, sed ratione reatus; & idem esse tolli reatum, ac tolli peccatum originale, etsi maneat concupiscentia, quia licet maneat actu, transit reatu. Non enim sustinenda est opinio Vasquez volentis, S. Doctorem fuisse revera in illa sententia. *Cum enim* (inquit) *circa essentiam peccati originalis sæpe suam ignorantiam fateatur, nihil mirum, si vir alioquin sanctissimus, & doctissimus, difficultate rei pressus, nihil aliud invenerit, in quo essentiam peccati originalis collocaret, quam reatum illum, & sic in re tam difficili fuerit deceptus*.

XIV. Non inquam. Cum enim, ut dicebamus, sententia, quæ essentiam peccati originalis in solo reatu, & obligatione ad pœnam statuit, a Pelagiana discrepet solo nomine, nefas vel suspicari, S. Doctorem, qui pro originalis peccati existentia adeo decertavit, verbis tantum, & non reipsa, illud admiserit. Addo, quod S. Doctor perpetuus est in hac doctrina, nimirum: si nihil culpæ esset in parvulis, injuste Deus ab eis pœnas exigeret. Sic enim increpat Julianum *lib.* 2. *Oper. Imperf. c.* 144. *l.* 3. *c.* 126. & 204. ubi hæc habet: *Si ergo nullum esset in parvulis ex origine malum meritum, quisquid mali patiuntur, esset injustum, & ideo ista mala in Paradiso esse non possunt; quia ibi nullum esset meritum malum, si felix obedientia permaneret. Ac per hoc quia hic sunt in parvulis mala, habent etiam meritum malum, quod nisi originaliter non haberent*; ergo juxta Augustinum si non esset culpa originalis, non esset reatus pœnæ, & ideo est reatus pœnæ, quia est culpa; & proinde reatus pœnæ est effectus, non essentia culpæ.

XV. Dico ergo, quod Augustinus si aliquando dixit, peccatum originale consistere in reatu, non dixit in reatu pœnæ, sed in reatu absolute: vel si dixit consistere in reatu pœnæ, non accepit reatum formaliter pro obligatione ad pœnam, sed radicaliter pro malo merito primi Parentis, quod factum proprium parvulorum est radix, ac fundamentum obligationis ad pœnam. Pro quo observandum cum D. Thom. in 2. dist. 42. q. 1. art. 2. in corp. *Quod reatus dicitur secundum quod aliquis est reus pœnæ; & ideo proprie reatus nihil est aliud, quam obligatio ad pœnam. Et quia hæc obligatio quodammodo est media inter culpam, & pœnam, ex eo quod propter culpam, ad pœnam aliquis obligatur: & ideo nomen mediii transumitur ad extrema, ut interdum ipsa culpa, vel etiam pœna reatus dicatur*.

§. III.

Neque in conversione habituali ad Creaturam.

XVI. QUibusdam recentioribus Thomistis visum est, essentiam peccati originalis consistere in conversione habituali ad creaturam, seu in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, ut ultimum finem. Hæc tamen opinio, etsi firmioribus videatur niti fundamentis, quam præcedentes, aliis tamen S. Thomæ Discipulis placere non potest. Quare

XVII. Dico tertio. Essentia peccati originalis in conversione habituali ad creaturam, seu ad bonum communicabile, ut ultimum finem, formaliter non consistit. Explico assertum. Non nego, in homine lapso adesse aliquam habitualem conversionem ad creaturam, dummodo non ponatur, quod sit aliqua qualitas de novo producta, & distincta ab ipsa habituali concupiscentia: fed nego, eam esse formale constitutivum peccati originalis, &c.

XVIII. Probo sic. Nomine conversionis habitualis ad creaturam, seu bonum commutabile, vel intelligunt Auctores contrarii habitualem concupiscentiam pronam ad bonum sensible inordinate, & contra rationem appetendum; vel aliquam qualitatem vitiosam per generationem ex Adamo productam. Primum concedimus: sed in hoc peccatum originale formaliter non consistere, superius ostendimus contra Lutheranos, & Calvinistas, volentes, peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam; cum in renatis habitualis concupiscentia maneat, a quibus tamen peccatum originale sublatum est: & concupiscentiam diximus cum Sancto Thoma esse ad summum materiale peccati originalis, sive aliquid consecutum ex ipso.

Si vero autument, habitualem conversionem esse aliquam qualitatem a concupiscentia distinctam, assignare debent causam, ex qua in parvulo producatur. Non enim dicere possunt, eam causari physice ex peccato Adami. Nam contra eos urgebimus omnes rationes, quibus supra §. 1. ostendimus, ex peccato Adami nullam qualitatem vitiosam in Posteris produci posse. Et insuper: si peccatum Adami esset causa physica transfusionis talis habitus, vel id haberet ex natura sua; & hoc non; quia cum sit actus immanens, non potest natura sua habere effectum extra se. Vel id haberet ex elevatione divina; & hoc minus: alias transfusio originalis peccati Deo speciali Auctori tribueretur. Vel id haberet ex vi pacti, quo Deus Adamum constituit suæ posteritatis caput; sed neque hoc: Quia ex vi talis pacti actus ille non fuit immutatus physice, sed ad summum moraliter.

XIX. Dicent forte, Adamum per suum peccatum esse causam talis habitus saltem moralem. Sed contra. Nam cum causa efficiens moralis per se non influat, sed moveat, & excitet alienam voluntatem ad producendum; quænam erit hæc aliena voluntas, quam ad producendum talem habitum Adam suo peccato movebit, excitabitque? Causa enim moralis semper comitem habere debet causam physicam, quam excitet ad physice producendum effectum; ergo &c.

XX. Dicent, causam physicam esse semen, quod ex Adimo decisum est productivum naturæ, & peccati originalis consequentis ipsam; sicut est productivum privationis justitiæ originalis in nostra sententia.

Sed contra. Semen est quidem natura sua instrumentum physicum serviens generationi naturæ, non vero productioni illius habitus pravi, nisi ab aliquo moveatur. Cum ergo nihil physicum ex peccato Adami derivetur in semen, nec qualitas morbida permanens, ut ostendimus, nec motio transiens, ob rationes alias; quomodo poterit instrumentaliter physice habitum illum pravum, maxime in anima, producere? Neque est simile, si constituamus peccatum originale, in privatione justitiæ. Nam ad hoc non requiritur aliqua virtus positiva in semine superaddita: sed sufficit in eo defectus vigoris ad communicandam justitiam originalem, quo in statu innocentiæ pollebat, ut superius dictum fuit.

§. IV.

Verum, ac formale Peccati Originalis constitutivum.

XXI. DIco quarto. Peccatum originale formaliter, & constitutive est privatio justitiæ originalis quantum ad ejus effectum primarium, qui erat subjicere perfecte mentem Deo. Hanc sententiam eligo, & quia conformiorem menti S. Thomæ, & quia cæteris præallatis probabiliorem. Noto tamen pro intelligentia, seu potius recolo, quæ superius dixi, nempe quod justitia originalis homini innocenti hæc tria conferebat, subjectionem scilicet mentis, seu rationis ad

Deum,

Deum, virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam; quorum primum per gratiam habitualem, & charitatem præstitum, erat causa secundi, & tertii, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 95. *a.* 1. *in corp.* Quæ licet homini connaturalia non essent, erant tamen divina largitate sic in homine disposita; ut quamdiu ratio maneret Deo subjecta, inferiora ei subderentur: & e contra si ratio esse Deo subjecta desineret, desinerent quoque inferiora esse subjecta rationi, & corpus animæ. Hæc ergo tria homo amisit peccando, & hisce tribus privatus fuit. Verum cum dicimus, peccatum originale esse formaliter privationem originalis justitiæ, non sumimus privationem secundum omnes suas partes, sed secundum primam, & potissimam: itaut privatio sanctitatis, hoc est gratiæ, & charitatis originalis homini, dum ex Adam nascitur, inhærens, sit peccatum originale formaliter.

XXII. Colligitur ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 82. a. 3. *est igitur* (inquit) *attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subjecta. Qua quidem subjectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem. Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia ordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut materiale.* Ex his hanc rationem conficio. Peccatum originale opposito modo constitui debet, ac justitia originalis, cui directe opponitur, & quam immediate tollit: sed justitia originalis ex hoc primo, & per se habebatur, quod mens, seu voluntas subdebatur Deo; ergo privatio originalis justitiæ secundum quod per eam voluntas subdebatur Deo, est formale, & constitutivum peccati originalis. Hoc idem docet Sanctus Doctor in 2. *dist.* 30. *quæstiunc.* 1. *artic.* 3. *in corp.* & *ad* 4. *Quæst.* 4. *de Malo artic.* 2. in *cap.* 5. *ad Rom. lect.* 3. & alibi. Quæ sententia a communiori Theologorum adoptatur, Scotistis aliquibus refragantibus, quamvis Scotus non dissentire videatur *in* 2. *dist.* 32. §. *Quod primum.*

XXIII. Probatur ergo primo. Illud in unaquaque re est ratio constitutiva, quod est primum in illa re & a quo ut a radice, & origine cætera ad illam pertinentia emanant; sed id totum habet privatio justitiæ originalis quoad primum ejus effectum subdendi mentem Deo; ergo &c. Min. pro prima parte prob. In peccato originali, quod est defectus, illud est primum, quod tollit primum effectum justitiæ originalis; sed primus effectus justitiæ originalis erat subdere mentem Deo; ergo privatio talis subjectionis est primum in peccato originali. Ex hoc etiam probatur secunda pars. Nam sicut in justitia originali ex subjectione mentis ad Deum sequebatur subjectio virium inferiorum rationi, & corporis animæ; ita ex carentia talis subjectionis sequuntur carentia subjectionis virium inferiorum rationi, corporis animæ, & omnes pœnalitates, & vulnera naturæ. Unde D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3. *Per justitiam* (inquit) *originalem perfectio ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi Parentis . . . & ideo omnes animæ vires remanent quodammodo destitutæ primo ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio naturæ dicitur.* Idipsum fuse exponit S. Doct. *Opusc.* 2. quod est compendium Theologiæ *c.* 192. & 193. videndum a Studioso.

XXIV. Respondet Frassen, illas omnes privationes, non a privatione gratiæ, sed a reatu peccati ducere originem. Non enim Deus Adamum, ac Posteros ejus alia ratione gratia sanctificante privavit, nisi quia ipse adversus ejus mandatum rebellavit.

Sed contra. Nam ex hoc solum sequitur, peccatum actuale Adami esse causam privationis gratiæ in se, & in Posteris, & quod Deus illum, ac Posteros gratia spoliavit, quia peccavit; non tamen quod peccatum originale habituale, quod in Adamo mansit post peccatum, & a Posteris contrahitur, sit causa ejusmodi privationis & non ipsa privatio modo explicato. Immo sicut peccatum habituale personale nihil est aliud, quam gratiæ privatio, ut suo loco dicitur; ita Peccatum habituale originale aliud non erit, nisi privatio originalis justitiæ. Rationem autem, cur peccatum actuale non sit ipsa privatio gratiæ, bene tamen peccatum habituale, & maxime originale, dat S. Thom. q. 4. de Malo a. 2. ad 4. *Quod privatio gratia non est in ipso actu, sed in subjectio, & ideo non pertinet ad peccatum actuale: sed carentia originalis justitiæ est natura: & ideo potest pertinere ad originale peccatum, quod est peccatum naturæ.*

XXV. Probatur secundo. Privatio voluntaria debitæ subjectionis animæ ad Deum, quæ in nobis est terminus, seu effectus peccati actualis Adami, habet quidquid requiritur, ut sit in nobis peccatum habituale, non personale, quia adest in pueris ante omne personale delictum, ergo originale. Antecedens probatur. Tum quia talis privatio est voluntaria habitualis aversio a Deo, in qua formaliter consistit peccatum. Tum quia peccatum habituale nihil est aliud, quam carentia voluntaria justitiæ, & debitæ subjectionis ad Deum. Porro quod præfata privatio sit voluntaria, patet. In primis enim est voluntaria voluntate primi Parentis: deinde est voluntaria voluntate cujusque ex Posteris; cum ejus voluntas contineret omnium voluntates. Etenim cum Adam ex lege, & pacto cum Deo inito justitiam originalem non sibi soli, sed etiam ut Posteris transfundendam acceperit, dum ipse voluntarie se privavit, voluntarie se se privarunt omnes, qui propterea in eo peccaverunt; & subinde privatio, quæ cum omnibus nascitur, illis est culpa, & peccatum.

XXVI. Probatur tertio. Peccatum originale non consistit in concupiscentia formaliter, nec in aliqua positiva qualitate, nec in peccato Adæ, ut moraliter nostro, sicut superius probatum est: ergo supereest, ut sit voluntaria habitualis privatio justitiæ originalis pro ea parte, qua mentem Deo subdebat, unumquemque, qui ex Adamo prodit, afficiens & maculans.

XXVII. Multa in contrarium dicunt præsertim Scotistæ. Primo. Privatio originalis justitiæ formaliter peccatum non est. Nam teste S. August. lib. 3. de lib. arbit. c. 19. *Peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate & ab sciente committitur.* Deinde citra omnem culpam posset Deus privare hominem omni justitia, & perfectione, quam Deus primo homini concesserat: sic autem nullum homini esset peccatum. Tum quia si talis carentia esset in Adamo peccatum, sequeretur, Adamum duo simul peccata commisisse, unum quidem transgressionis præcepti; alterum consistens in illa privatione justitiæ.

XXVIII. Respondetur ad primum, Augustinum loqui de peccato personali, non de originali: hoc enim voluntarium quidem est, non tamen voluntate propria in se, sed ut contenta in voluntate alterius. Ait enim lib. 1. Retract. cap. 13. *Illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium; quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.* Et lib. 4. Oper. imperf. contra Julian. cap. 100. *Est* (inquit) *omnino sine voluntate peccatum, idest manet. Non enim maneret, nisi esset atque quod maneret: sed ut esset, quod maneret sine voluntate, non est factum sine voluntate.* Et *lib.* 6. *contra Julian. c.* 10. dixerat: *Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur, sine opera libri arbitrii, quia primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in Mundum, & in omnes homines pertransiit.*

XXIX. Ad id, quod deinde subjiciunt, nego consequ. Si enim Deus sicut hominem justitia originali, sua misericordia, absque ullo ejus merito ornavit; ita si suo occulto judicio sine sua culpa ipsum spoliaret, talis carentia esset pure physica, nec homini voluntaria, sed ex subtractione divini auxilii inducta, neque illi esset peccatum, nec pœna. Carentia tamen justitiæ subjectionis mentem Deo homini voluntaria, & per actum Adami peccantis in tota natura inducta, qua voluit a Deo se avertere, est carentia, non pure physica, sed moralis, & consequenter peccatum originale habituale: sicut carentia gratiæ, voluntate personæ peccantis inducta, constituit peccatum habituale personale, quamvis si Deus eum sine culpa gratia privaret, illi non esset peccatum.

XXX. Ad id, quod tertio addunt, nego sequelam. In Adamo enim unum peccatum actuale fuit, quod vel superbiæ, vel inobedientiæ fuit, a quo ipse Adamus dictus est peccans, & nos prout eramus in illo, peccavimus, juxta illud Paull. Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt.* Et hoc peccatum actuale fuit positivum, sicut cætera peccata commissionis. Porro peccatum istud transiens actu, mansit reatu in sui termino, nempe in peccato habituali, quod denominavit Adamum peccatorem; & hoc formaliter fuit privatio justitiæ originalis quoad ejus primarium effectum subdendi mentem Deo. Quia vero peccatum originale, quod contrahimus, non se habet per modum actus, sed habitus seu termini (nec enim eo dicimus peccantes, sed peccatores) assimilandum est potius peccato habituali Adami consistenti in privatione, quam actuali importanti de formali aliquid positivum.

Nec dicas, quod si peccatum actuale Adami in aliquo positivo consistebat, in positivo etiam statui debebit peccatum habituale, alias transacto actu non mansisset idem peccatum secundum speciem —— Nam nego assumptum. Peccatum enim actuale, & habituale debent quidem esse ejusdem speciei in esse moris, non tamen in esse physico. Cum enim habituale sit terminus ex actuali relictus, & ex eodem motivo, in morali æstimatione sunt ejusdem speciei, quamvis in esse physico specie differant.

XXXI. Dicunt secundo. Privatio justitiæ originalis est a Deo tamquam pœna peccati; ergo non est ipsum peccatum. Antecedens probatur. Quia Deus est, qui justitiam subtraxit Adamo, dum peccavit: unde S. Thomas 2. 2. q. 85. a. 5. *Subtractio* (inquit) *originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ.* Et quæst. 5. de Malo art. 1. *Conveniens pœna peccati originalis est subtractio gratiæ, & per consequens visionis divinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur.* Et probatur ratione. Nihil enim est magis commune, quam quod justitia originalis ablata sit a Deo in pœnam peccati originalis. Consequentia quoque patet, quia pœna supponit culpam, cum irrogetur subjecto illa digno propter culpam, sicut eadem ratione præmium supponit meritum.

XXXII. Confirmant. Esse hominem in peccato originali non solum dicit, esse privatum donis supernaturalibus, gratia, charitate &c. sed ulterius (ut docet Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 1.) factum immundum, natura filium iræ, servum peccati, sub potestate Diaboli, ac mortis: sed nemo dixerit, hæc non esse appendices, ac pœnas peccati originalis; ergo idem dicere debet de privatione justitiæ originalis.

XXXIII. Huic,

XXXIII. Huic, quod est potissimum contrariæ sententiæ fundamentum, non uno modo respondetur a Nostris. Primo dicunt aliqui, privationem justitiæ originalis esse quidem pœnam, seu effectum peccati actualis primi Parentis, seu peccati originantis: unde S. August. dicit lib. 2. de Nupt. & concup. c. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati*: & generaliter peccatum actuale est causa peccati habitualis: non tamen esse pœnam peccati originalis, seu originati in nobis, sed ipsum peccatum formaliter. Neque sequitur, quod ea ratione, qua est pœna, debeat esse a Deo, nisi ad summum permissive; quemadmodum unum peccatum potest esse pœna alterius peccati, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 87. *art.* 2. quin peccatum, quod est pœna, sit a Deo. Et ratio est: quia, ut ibidem docet S. Præceptor, unum peccatum non est pœna alterius, nisi per accidens, ratione subtractionis gratiæ, quæ cum sit quædam pœna, & a Deo, fit, ut etiam peccatum, quod ex ea sequitur, pœna dicatur. Videatur S. Thom. laudato loco, & insuper *in* 1. *dist.* 46. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4. & in *c.* 1. *ad Rom. lect.* 7.

XXXIV. Hinc secundo respondent alii, per privationem justitiæ originalis intelligi posse, vel ejus remotionem, seu subtractionem; vel ejus carentiam, seu defectum. Vel aliis terminis privationem sumi posse, vel active, vel passive. Priori modo consideratur ex parte Dei, qui propter indignitatem hominis peccantis juste illi subtrahit justitiam. Posteriori modo consideratur ex parte subjecti, quod voluntarie caret ea perfectione, quam deberet habere. Juxta priorem modum ipsa est a Deo tamquam pœna, & effectus peccati, & in hoc sensu eam sumit Div. Thom. ab arguente citatus: & propterea dicit *subtractio gratiæ*, non *carentia, defectus*. Juxta posteriorem non est a Deo, neque est pœna, neque effectus peccati, sed est ipsum peccatum originale pro formali.

XXXV. Alio modo respondet D. Thom. *quæst.* 4. *de Malo art.* 2. in fine his verbis: *Ad id vero*, quod *quærebatur, utrum* (carentia originalis justitiæ) *sit pœna tantum, vel pœna, & culpa, dicendum . . . . . quod si comparatur ad istum hominem, prout est persona quædam, non habito respectu ad naturam, sic est pœna. Si autem comparatur ad principium, in quo omnes peccaverunt, sic est culpa.* Quibus statuit D. Thom. peccatum originale esse pœnam particularis personæ, culpam vero naturæ, quæ in primo homine peccante tota peccavit. Omnes igitur præfatæ responsiones in hoc unum collimant, quod peccatum originale dici possit culpa, & pœna non secundum eamdem, sed secundum diversam rationem.

XXXVI. Ad id, quod ratiocinantur, dico, verum esse, quod pœna, ut pœna, præsupponit culpam saltem prioritate intelligentiæ. Et sic etiam privatio physica justitiæ originalis, quæ est pœna peccati, præsupponit eamdem privationem ut voluntariam, sub qua formalitate habet rationem culpæ; prius enim, nostro modo intelligendi, voluntate nostri capitis voluimus justitia originali privari, quam illa a Deo juste privaremur: ideo namque nobis nascentibus subtrahit auxilium justitiæ originalis productivum, quia voluntate primi Parentis voluimus justitia originali privari. Quod, ut bene percipiatur; primo concipiendus est homo, seu puer, sub debito habendi gratiam ex pacto inter Deum, & Adamum inito.

Secundo. Idem ut in Adamo peccans contrahens voluntarium privationem talis gratiæ, seu aversionem a Deo ultimo fine, in quo peccatum originale statuimus. Tertio. Idem ratione talis aversionis tum Adami, tum suæ factus indignus, ut Deus illi gratiam originalem conferat. Quarto. Deum ratione talis indignitatis denegare suum concursum justitiæ collativum.

XXXVII. Ad confirm. quæ oritur ex non intelligentia nostræ sententiæ, dico peccatum originale non eodem modo dicere privationem gratiæ originalis quoad subjectionem animæ ad Deum, ac quoad cætera, quæ de illa secuta sunt. Nam primum, nempe voluntariam aversionem mentis a Deo, dicit primo, & per se tamquam formale peccati constitutivum, cætera vero de materiali, & consecutive. Et ideo hæc tantum pœna peccati sunt; illud vero, licet sub aliqua consideratione dici possit pœna, tamen per se est originalis culpa, ut dictum est.

Sed dices contra præfata. Si Princeps aliquis ita cum viro nobili statueret, ut si fidelis in obsequio persisteret, feudum pro se, & pro Posteris acciperet, ipso jure privandus, tum ipse, tum Posteri, si infidelis evaderet; nullus dixerit, quod si nobilis ille perduellis evaderet, privatio illa feudi pro se, & Posteris non esset pœna; ergo a simili.

Respondeo, disparem esse rationem. Nam in humanis ab uno ad alium transire potest pœna, sed non culpa, nisi per externam imputationem, sicut nec meritum. At in casu nostro, non solum ex Adamo transit in posteros pœna, sed culpa, quæ unicuique est propria; unde eo peccante omnes peccaverunt: quare privatio justitiæ, ut cuilibet voluntaria, non est pœna, sed culpa.

XXXVIII. Dicunt tertio. Etsi Adam ornatus non fuisset justitia originali in Posteros transfundenda, & peccasset, filii ejus peccatum originale contraherent: sed tunc peccatum originale non consisteret in privatione originalis justitiæ; ergo nec modo. Maj. patet. Quia tunc potuisset Deus Adamum constituere Caput morale nostrum, & ad observantiam alicujus præcepti obligare. Min. non minus aperta est. Tunc enim carentia originalis justitiæ non esset privatio, sed pura negatio.

XXXIX. Respondeo, neg. min. In illa quippe hypothesi, quod Adam conditus in puris naturalibus, sine justitia supernaturali constitueretur Caput morale hominum, & peccaret; peccatum, quod filii ejus contraherent, non foret quidem privatio justitiæ, seu gratiæ supernaturalis, foret tamen privatio justitiæ, seu rectitudinis naturalis. Ita simili instantiæ respondet S. Thomas *quæst.* 4. *de Malo art.* 2. *ad* 1. quod negabant carentiam originalis justitiæ esse formale in peccato originali. *Nec credo* (iuquit) *verum esse, quod homo sit creatus in naturalibus puris. Si tamen non includit gratiam gratum facientem, non tamen propter hoc excluditur, quin carentia originalis justitia habeat rationem culpæ; quia ex hoc ipso, quod aliquis peccat contra dictamen rationis naturalis, incurrit culpam; rectitudo enim gratiæ non est sine rectitudine naturæ.*

XL. Dicunt quarto. Si peccatum originale consisteret in privatione justitiæ originalis, sequeretur, eam reddi in Baptismo, cum per Baptismum peccatum originale tollatur: ac præterea eos, qui post Baptismum peccant mortaliter, relabi in peccatum originale, cum tunc eis insit privatio justitiæ, tum originalis, tum etiam cujuscumque.

XLI. Respondeo, negando sequelam. Non enim per Baptismum redditur justitia originalis quoad omnes suos effectus, tam scilicet quoad subjectionem animæ, seu rationis ad Deum, quam quoad subjectionem corporis ad animam, & subjectionem virium inferiorum ad rationem; quia privatio justitiæ originalis, in qua culpam originalem collocamus, non dicit per se primo ista omnia, sed solum privationem debitæ subjectionis animæ, & rationis ad Deum, quæ in justitia originali erat primum, & principale. Cum ergo, quantum ad hoc, deleatur per Baptismum talis privatio, & per gratiam, & charitatem anima fiat Deo conjuncta, & subjecta, tollitur per illum culpa originalis quoad formale, esto maneat quoad materiale. Et restituitur justitia originalis, & innocentia, non quatenus erat in primo Parente ante peccatum, nempe tam in ratione, quam in viribus inferioribus, & in corpore, sed solum quantum ad primariam, & principalem partem, quæ erat subjicere animam Deo. Alias enim duas partes præstabat justitia, dum non supponebat peccatum: sed justitia, quæ ex peccatore facit justum, præstare non potest. Quod propterea non tollit, quin renati per Baptismum vere sint justi, & innocentes, ac induti stola prima, quia Deo reconciliati. Et licet in eis maneat fomes, & concupiscentia, maneat in eis ad agonem, ut docet Tridentinum *Sess.* 5. *Can.* 5. Hæc quoque est Doctrina D. Thom. *q.* 4. *de Malo art.* 2. *ad* 2. dum ait: *Justitia originalis restituitur in Baptismo quantum ad hoc, quod superior pars animæ conjungitur Deo, per cujus privationem inerat reatus culpæ, sed non quantum ad hoc, quod rationi subjiciantur inferiores vires.*

XLII. Minus quoque sequitur, quod qui post Baptismum peccant mortaliter, relabantur in peccatum originale: quia formale peccati originalis, non est privatio justitiæ originalis qualitercumque spectata, sed considerata cum ordine ad primum primi Parentis peccatum, atque adeo, ut per originem, & propagationem ab eo accepta. Privatio autem justitiæ, vel gratiæ, quæ inest peccantibus post Baptismum, non dicit ordinem ad peccatum primi Parentis, neque est accepta per originem, & propagationem ab illo, sed ex propria eorum voluntate, & actione. Peccata enim redire non dicuntur, nisi redeat, & reiteretur causa; causa autem, per quam macula originalis peccati erat in anima, est peccatum primi Parentis, & naturæ seminaliter ex illo propagatio, quæ non iterantur; ergo non redit peccatum originale: sicut si post remissum peccatum, puta luxuriæ, aliquis peccet peccato homicidii, peccatum luxuriæ redire non dicitur.

XLII. Dicunt quinto. S. Thomas *q.* 82. 1. 2. *art.* 2. *in corpore*, docet sic: *Causa autem hujus corruptæ dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est una tantum, scilicet privatio originalis justitiæ*; ergo non potest esse ipsum peccatum originale, alias idem esset causa sui ipsius.

Et confirmant. Nam in Adam, & Eva fuit privatio justitiæ originalis; neque tamen fuit in illis peccatum originale.

XLIV. Respondetur dupliciter. Primo. S. Thomam loqui de causa, seu quasi causa formali; nihil autem vetare, talem causam esse realiter idem cum suo effectu formali: sicut animal rationale est causa quasi formalis hominis, & tamen idem est, ac homo. Ita respondent Cajetanus, & Bellarminus. Sed quia D. Thom. ibi dicit, quod privatio justitiæ originalis est causa originalis peccati, sicut superabundantia calidi, vel frigidi, vel læsio hepatis, aut pulmonis sunt causa diversarum ægritudinum in corpore; ubi certe non loquitur de causa formali, sed effectiva, cum nec superabundantia calidi, aut frigidi sit ipsa ægritudo, sed causa ægritudinis.

XLV. Respondeo igitur propius menti S. Doctoris, eum non dicere, quod privatio justitiæ originalis sit causa ejus, quod est peccatum originale; sed quod sit causa illius corruptæ, seu inordinatæ dispositionis, nempe in viribus inferioribus animæ, quæ nuncupatur peccatum originale, quia in peccato originali est quasi materiale. Est autem causa ejus, sicut removens prohibens; quia formaliter removet justitiam, quæ omnem inordinationem virium animæ prohibebat, & ex cujus sublatione illa ordinatio statim est secuta.

XLVI. Ad confirm. nego conseq. Quia in Adam, & Eva non fuit privatio justitiæ originalis per originem, seu propagationem contracta, sed per actum propriæ voluntatis inducta; in illa autem, non in ista consistit formaliter peccatum originale. Et propterea; quamvis privatio justitiæ originalis

NON

non fit effectus nostri peccati originalis; potest tamen dici effectus peccati actualis, quo Adam fuit legem Dei prævaricatus, atque ita se, suamque posteritatem justitia, quam habebat, spoliavit.

XLVII. Dicunt sexto. Peccatum originale non solum dicit aversionem a Deo, ut ultimo fine, sed etiam conversionem ad bonum commutabile. Tum quia non potest dari recessus a termino a quo sine accessu ad terminum ad quem. Tum quia parvulus in peccato originali existens habet aliquem ultimum finem: sed non Deum, a quo est aversus; ergo creaturam, ad quam habituliter est conversus. Atqui talis conversio est aliquid positivum; ergo &c. Unde D. Thom. 1. 2. *q.* 82. *art.* 1. dicit; quod peccatum originale est *Habitus*, sicut *ægritudo*; & *ad* 1. quod *non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus*.

XLVIII. Respondetur, dist. maj. peccatum originale adæquate sumptum, conc. maj. constitutive acceptum, nego maj. Fateor, peccatum originale adæquate sumptum, tam pro eo, quod de formali dicit, quam de materiali, importare tam aversionem a Deo, ut ultimo fine, quam conversionem habitualem ad creaturam, ut finem ultimum: at constitutive sumptum, pro eo scilicet, quod de formali suo constitutivo importat, solam dicit privationem originalis justitiæ; conversio autem ad bonum commutabile venit solum de materiali, & consequenter, ut de concupiscentia superius dictum est. Nisi dicamus, ipsam aversionem habitualem a Deo virtualiter, & interpretative esse conversionem ad creaturam; quæ licet nomine positivo exprimatur, tamen formaliter idem est, ac privatio ordinis ad Deum, seu aversio a Deo. Ex quo enim aliquis est aversus a Deo, dat fundamentum concipiendi eum conversum ad creaturam. Ad primam prob. maj. dico, quod esto nequeat dari recessus a termino a quo positivus, sine accessu formali ad terminum ad quem; potest tamen sine tali accessu formali dari recessus privativus cum solo accessu interpretativo: cum ergo aversio, seu recessus a Deo per peccatum originale fit tantum privativus, nempe privatio debitæ subjectionis Deo, ut ultimo fini, non affert formalem accessum ad aliquem terminum. Unde cum in Angelo recessus a loco fit per negationem operationis, non arguitur ex recessu ab uno loco accessus formalis ad alium. Hinc ad secundam probat. dico, parvulum existentem in peccato originali nullum habere finem ultimum moralem, ad quem se convertat, nisi virtualiter, & interpretative.

Ad id, quod affertur ex S. Thoma, dico, eum vel non loqui de peccato originali constitutive, & pro formali; sic enim dicit ibi *art.* 3. quod formaliter est defectus originalis justitiæ, sed adæquate, nempe etiam pro materiali: sic enim includit habitualem ægritudinem in partibus inferioribus animæ. Vel esse mere habitum lato modo pro quacumque permanente prava dispositione. Vel in sensu causali, quatenus sicut sublata sanitate sequitur ægritudo, & languor in membris, ita sublata justitia originali, sequitur ægritudo, & languor in viribus animæ.

QUÆSTIO IX.

De Subjecto Peccati Originalis.

DE subjecto peccati originalis agimus breviter cum D. Thom 2. *q.* 83. nec tamen de subjecto remoto, seu de illis, qui subjiciuntur peccato originali (hos enim esse homines ex Adamo progenitos superius ostensum est Quæst. 7.) sed de subjecto proximo; in qua nempe hominis parte, & facultate peccatum originale pro formali resideat.

DUBIUM I.

An Peccatum Originale magis sit in carne, quam anima?

§. I.

Resolutio negativa.

I. SUppono cum D. Thom. laudato loco *art.* 1. quod aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo sicut causa, vel principali, vel instrumentali; alio modo sicut in subjecto. Certum est ergo primo, peccatum originale omnium hominum fuisse in Adamo, sicut in prima, & principali causa, morali tamen, modo superius explicato *Quæst.* 7. *Dub.* 2. §. 3. Ille enim, ejusque primum peccatum est prima causa peccati nostri originalis; ita ut Apostolo teste *Rom.* 5. in eo peccaverimus omnes.

II. Certum secundo est, peccatum originale esse in semine corporali sicut in causa instrumentali, morali tamen, non physica, ut explicavimus dicta *Quæst.* 7. *Dubio &* §. citatis. Natura enim humana est in hujusmodi semine sicut in causa instrumentali, cum per virtutem activam illius seminis traducatur; ergo cum vi illius traducatur infecta originali, quo ideo inficitur, quia seminaliter ex Adamo derivatum, non alia causa instrumentalis peccati originalis quærenda est, quam semen cum ea infectione morali ab Adamo descendens. Videantur dicta superius citatis locis. His suppositis, de subjecto agendum est.

III. Dico. Peccatum originale nullo modo potest esse in carne, ut in subjecto, sed solum in anima. Probatur primo. In eo solum potest esse peccatum originale, sicut in subjecto, quod est capax culpæ: sed sola anima, non caro, est capax culpæ; ergo sola anima &c.

Explicatur ex doctrina D. Thom. *art.* 1. citata. Peccatum originale traducitur per quamdam generativam motionem in Posteros, sicut peccatum actuale voluntaria motione a voluntate unius hominis derivatur ad alias partes ejus: sed peccatum actuale in ea solum parte, ad quam derivatur, habet rationem culpæ, quæ nata est moveri a voluntate, estque propterea capax culpæ sive ut subjectum, sive ut instrumentum: unde peccatum gulæ, quod est in voluntate ut in subjecto, ex voluntate peevenit ad concupiscibilem, & sumptio Cibi ad manus, & os, quæ in quantum moventur a voluntate ad peccandum, sunt instrumenta peccati: quod vero ulterius derivatur ad vim nutritivam, & alia interiora membra, quæ non sunt nata moveri a voluntate, non habet rationem culpæ; ergo cum caro de se non habeat, quod sit subjectum culpæ; sed sola anima, *quidquid pervenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ.* Ita D. Thom.

IV. Probatur secundo. Peccatum originale, cum ex dictis formaliter sit privatio, in eo ut subjecto est, quod est subjectum formæ, qua privat: sed anima est subjectum justitiæ originalis, quia privat, seu cujus peccatum originale est privatio, caro autem talis formæ capax non est; ergo &c. Min. patet. Quia forma, cujus peccatum originale est privatio, est justitia originalis, secundum eam partem, qua anima, ejusque potentiæ subdebantur Deo.

§. II.

Solvuntur qua obstant.

V. OBstare videtur primo Paulus, qui *Rom.* 7. *v.* 23. ait: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: sed lex peccati repugnans legi mentis est peccatum originale, ergo si hæc est in membris, peccatum originale est in membris.

VI. Respondetur, neg. min. Lex enim illa peccati, quæ est in membris, non est ipsum peccatum originale, sed concupiscentia spiritui repugnans, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Ut enim ex August. *l.* 83. *q.* 66. ait D. Thom. 1. 2. *q.* 83. hoc art. 1. ad 1. *Apostolus loquitur de homine jam redempto, qui liberatus est a culpa, sed subjacet pœnæ, ratione cujus peccatum dicitur habitare in carne. Unde ex hoc non sequitur, quod caro sit subjectum culpæ, sed solum pœnæ.*

VII. Obstat secundo. Quia unumquodque perfectius est in causa, quam in effectu, sicut calor magis est in igne calefaciente, quam in aqua calefacta: sed anima inficitur peccato originali per semen carnale; ergo magis est in semine carnali, quam in Anima.

VIII. Respondeo ex D. Thoma citato *ad* 2. axioma illud verum esse de causa principali, non de instrumentali, qualis est semen. *Peccatum* (inquit) *originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali. Non autem oportet, quod aliquid sit principalius in causa instrumentali, quam in effectu, sed solum in causa principali. Et hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit secundum rationem actualis peccati.* Addo, quod sicut per semen traducitur originale peccatum in animam; ita & magis per illud traducitur natura humaria. Quis autem dicet, hanc perfectius invenire in semine, quam in homine genito?

IX. Obstat tertio. Peccatum originale contrahimus secundum quod fuimus in Adamo; sed in eo fuimus secundum carnem, non secundum animam, quæ a Deo creatur; ergo &c.

X. Respondet idem S. Thom. laudatus ad 3. *Quod anima hujus hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante, sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo; eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.*

XI. Obstat quarto. Anima rationalis creata a Deo corpori infunditur: ergo si anima per peccatum originale inficeretur, ex sua creatione, vel infusione inquinaretur; ergo Deus, qui est causa creationis, & infusionis, esset causa peccati.

XII. Respondetur, negandam utramque consequentiam cum S. Thom. citato ad 4. *Cum enim creatio importet respectum animæ ad solum Deum, non potest dici, quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat respectum, & ad Deum infundentem, & ad carnem, cui infunditur anima. Et ideo habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici, quod anima per infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur.*

Similia respondet S. Doct. *in* 2. *dist.* 32. *q.* 2. *art.* 1. ubi rem hanc pertractat *ad* 1. quod *cum dicitur, anima infusione maculatur; si ablativus concomitantiam designat, absolute vera est. Si autem denoter habitudinem causæ, duplex est: quia vel intelligitur infusio esse causa maculæ ex parte principali a quo & sic falsa est: vel ex parte termini ad quem, & sic vera est.*

XIII. Sed replicabis. Anima vel creatur a Deo bona, vel mala. Si mala; ergo Deus est causa malitiæ. Si bona, cur Deus illam infundit corpori vitiato? *Nullus* enim *Sapiens liquorem*

rem pretiosum vasi infecto infunderet, ex quo sciret ipsum liquorem infici, maxime vero Deus. Infundit autem: non ergo inquinatur ex carne; ergo peccatum originale non est in anima, sed in carne.

XIV. Respondeo, animam creari bonam quantum ad bonitatem naturalem, sed quantum ad bonitatem moris Deus nec eam facit bonam, nec malam. Non bonam: quia cum in illo primo instanti creationis infusa corpori contrahit peccatum, simul esset bona, & mala. Non malam: quia Deus non potest esse causa mali. Et quamvis ab instanti suæ creationis mala sit; hoc tamen non habet a Deo creante, sed a carne inficiente.

Illud vero axioma, quod affertur, locum quidem habet in agente particulari, quod cum respiciat bonum particulare, tenetur impedire ab eo defectus quantum potest: non tamen agens, & Provisor universalis, qualis est Deus, qui cum spectet ordinem universalem rerum, non tenetur impedire, imo sapientissime non impedit defectum in aliquo particulari, quando hic defectus ad ordinem universalem consequendum necessarius est. Cum ergo ad ordinem universalem spectet propagatio naturæ humanæ, quæ alia via, nisi propagationis unius ex alio naturaliter conservari nequit; & hæc, attento præsenti rerum ordine, non aliunde quam ex semine Adam queat propagari, itaut anima in alio corpore, quam ex Adam infecto nequeat infundi: inde est, quod ad evitandam hujusmodi infectionem Deus, ut universalis Provisor, hunc ordinem prætermittere non debet. Ita ex D. Thom. 1. 2. loco sæpe laudato *ad* 5. Immo *in* 2. *dist.* 32. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. ait: *Quod sicut non esset sapiens, qui thesaurum in loco mundo conservabilem, in immundo reponeret: ita esset valde insipiens, qui thesaurum non aliter conservabilem, non etiam in immundo loco collocaret & præcipue, si emendandi thesaurum possibilitas remaneret.*

Neque dicatur, quod melius esset animæ rationali non creari, & non esse, quam hoc modo esse, nempe infectam peccato; quia malum culpæ gravius est malo pœnæ, quale est non esse.

Nam respondeo, majorem forte veram esse, si a tali culpa liberari non posset, ut in damnatis contingit. Porro cum anima, dum est in hac vita, habeat facile remedium, quo & culpæ remissionem obtineat, & damnationem evadat, melius est illi sic esse, quam non esse: immo iis etiam, qui sine Baptismo decedentes perpetuo æterna beatitudine privarentur, quoniam eis quidem erit pœna, sed mitissima, nempe privatio boni eis indebiti.

XV. At dices. Si Deus poneret aliquem in Inferno sine sua culpa, non esset conveniens justitiæ ejus, & sapientiæ: sed ex hoc, quod anima in infusione maculatur, reatum pœnæ infernalis incurrit; ergo &c.

Respondet S. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 2. art. 2. ad 2. *Quod pœna inferni est duplex. Quædam est, quæ pro peccato actuali debetur, & ista est corruptio alicujus boni, quod etiam ex naturalibus principiis naturam humanam consequitur; unde injustum esset, quod aliqua talem pœnam subiret, nisi per hoc, quod propria culpa illam incurrisset. Quædam vero pœna est originali debita, quæ nihil subtrahit eorum, quæ natura ex principiis suis debentur, sed aliquid humanam facultatem excedens tollit; ad quod tamen ordinatus erat per aliquid natura gratis collatum; unde nulla injuria ipsi homini fit, si sibi non datur, quod natura sua non debetur, secundum quod eam accepit.*

XVI. Noto demum, quod etsi absolute melius sit non esse, quam malum culpæ admittere; non tamen sequitur, quod postquam aliquis jam est obnoxius peccato, melius sit ei non esse, quam sic esse. Cum ergo humana natura in Adamo facta sit peccato obnoxia, melius illi non est absolute non esse, quam esse, licet cum peccato.

DUBIUM II.

An Peccatum Originale per prius sit in essentia Animæ, quam in Potentiis?

§. I.

Sententia D. Thomæ.

I. DIco. Peccatum originale secundum essentiam per prius est in essentia animæ, quam in voluntate, aut ejusdem aliis animæ potentiis. Sed anima secundum suam essentiam est primum, sive immediatum subjectum peccati originalis. Ita D. Thom. tum 1. 2. *quæst.* 83. *art.* 2. tum in 2. *dist.* 31. *quæst.* 2. *art.* 1. tum *quæst.* 5. *de Malo art.* 4. cujus rationibus probatur. Prima, qua utitur citato loco ex 1. 2. talis est. Cum peccatum originale traducatur per motionem generativam, illud est prius, & immediatius subjectum illius, quod prius motione generativa attingitur ut terminus: sed quod prius motione generativa hominis attingitur ut terminus, est essentia animæ; ad eam enim, non quidem producendam, sed corpori uniendam omnes parantur virtutis generativæ conatus, & dispositiones; ergo ad ipsam, dum corpori unitur, primo pervenit originale peccatum, quam ad ejus potentias. Maj. probatur. Illud enim animæ est subjectum proximius peccati, ad quod primo pertinet, & tendit causa motiva illius peccati: sicut si causa motiva ad peccandum sit delectatio sensus, quæ pertinet ad vim concupiscibilem, sequitur, quod proximius illius peccati subjectum sit vis concupiscibilis.

II. Huic proxima est alia ratio, quam tangit *quæst.* 4. *de Malo art.* 4. laudato. Peccatum originale est peccatum naturæ; ergo prius inficit id, a quo incipit naturæ processus; sed hic est ab essentia animæ ad potentias, quæ ab ipsa derivantur; ergo ab ipsa quoque derivatur naturæ vitium; & ideo sunt peccato infectæ, quia sunt potentiæ consequentes animam infectam.

III. Probari potest tertio. Idem est subjectum immediatum peccati originalis, quod erat immediatum subjectum justitiæ originalis, cujus est privatio, cum idem sit subjectum privationis, puta cæcitatis, & formæ, nempe visus: sed immediatum subjectum justitiæ originalis erat ipsa animæ essentia, ut superius ostensum est: eo vel maxime, quod justitia originalis essentialiter, & in recto improbat gratiam sanctificantem, quæ in essentia animæ immediate recipitur. Hinc rationem indicat S. Thom. 1. 2. *quæst.* 83. *artic.* 2. *ad* 2. dicens: *Etiam originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ: erat enim donum datum divinitus humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ, quam potentiæ.*

§. II.

Rationes Scoti.

IV. SCotus cum sua Schola sentiens oppositum arguit sic primo. Anima secundum se non est susceptiva culpæ, sed solum media voluntate; ergo culpa originalis prius, & immediatius recipitur in voluntate, quam in essentia animæ.

V. Si respondeatur, antecedens verum esse de culpa actuali, non vero de culpa habituali, sive originali, sive personali. Quod autem anima non possit esse immediatum subjectum culpæ actualis, non provenit, quia culpa est, sed quia est operatio, cujus non est immediatum subjectum anima, sed potentiæ ejus.

VI. Dices. Quodcumque peccatum, sive actuale, sive habituale debet esse voluntarium, & dicere disformitatem a lege, cujus est transgressio: sed hoc animæ convenire non potest, nisi media voluntate; nimirum, quia non vult subesse legi; ergo &c.

VII. Respondetur, dist. min. vel per modum actus, vel per modum termini, conc. maj. præcise per modum actus, nego maj. Et idem dico de disformitate a lege per modum habitus ex actu relicti. Ex quo ergo peccatum etiam habituale sit voluntarium, & a lege disforme, solum sequitur, quod sit terminus relictus ex actu pravo voluntatis, & quod voluntatem respiciat tamquam causam, non vero tamquam subjectum. Ut enim docet D. Th. in 2. dist. 31. q. 2. art. 1. ad 4. *Peccatum omne in voluntate est, sicut in causa: non tamen semper est in ea sicut in subjecto, cum etiam concupiscibilis, & irascibilis subjectum peccati esse possit. Et hoc modo etiam originale in voluntate est, sicut in causa, quia voluntate primi Parentis in omnes transivit.*

VIII. Secundo arguit. Peccatum originale est idem cum peccato primi Parentis; hoc enim est, quod ad Posteros derivatur: sed peccatum primi Parentis proxime fuit in ejus voluntate; ergo peccatum originale similiter est in voluntate parvulorum.

IX. Respondetur, dist. maj. idem specie, sicut effectus cum causa, conc. maj. idem numero, nego maj. & conseq. Quia enim in primo Parente fuit peccatum actuale, ideo per prius subdectabatur in voluntate, a qua immediate procedebat, & deinde in essentia animæ. Originale vero non procedit a voluntate propria ejus, qui illud contrahit, sed per generationem derivatur: & propterea non debet esse prius in ejus voluntate, sed potius in essentia animæ, quæ est terminus generationis. Hinc D. Thom. quæst. 4. de Malo art. 4. ad 5. *In Adam* (inquit) *persona corrupit naturam; & ideo in eo primo fuit corruptio in potentiis animæ, quam in essentia. Sed in homine, qui nascitur ex Adam, natura corrumpit personam: & ideo in isto per prius corruptio pertinet ad essentiam, quam ad potentias.* Pulchra sane doctrina.

X. Tertio argui potest. Sicut a carne peccatum originale derivatur ad animam, ita ab essentia animæ derivatur ad potentias; sed peccatum originale magis est in anima, quam in carne; ergo etiam magis est in potentiis, quam in essentia animæ.

XI. Confirmatur. Anima nata est esse subjectum peccati quantum ad id, quod potest a voluntate moveri: sed anima non movetur a voluntate secundum suam essentiam, sed solum secundum potentias; ergo peccatum originale non est in anima secundum suam essentiam, sed solum secundum potentias.

XII. Respondetur, non eodem modo a carne derivari peccatum originale ad animam, ac ab anima ad potentias. Primo. Quia essentia animæ secundum se est capax peccati originalis, non autem caro. Secundo. Quia caro est causa solum instrumentalis traductionis peccati, anima vero est causa principalis traductionis peccati ad potentias. Tertio. Quia, ut docet D. Thom. quæst. 4. de Malo art. 4. in corp. *Non eodem modo comparatur essentia animæ ad potentias, sicut comparatur corpus ad animam. Nam corpus comparatur ad animam ut materia ad formam; materia autem præcedit formam in via generationis, & temporis: sed forma præcedit materiam in via perfectionis, & naturæ. Essentia autem anima comparatur ad potentias, sicut forma substantialis ad proprietates naturales consequen-*